

DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA

DE

VIRIS

MILITIA

ÆQVE AC

SCRIPTIS

ILLUSTRIBUS,

QVAM

INCLYTI PHILOSOPHORUM
ORDINIS CONSENSU,

PRÆSIDE

VIRO PRÆNOBILISSIMO, CONSUL-
TISSIMO, EXCELLENTISSIMO QVE

JO. BURCHARD. MENCKENIO,

J.U.D. CONSIL. ET HISTORIOGRAPHO

REGIO, NEC NON HISTOR. P. P. ET SOCIET.

REGIÆ BRITANN. SOCIO,

PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO

VENERANDO,

IN ACROATERIO MAJORE

D. XV. SEPTEMBR. MDCCVIII

PUBLICÆ TUEBITUR

RESPONDENS

JOANNES CHRISTIANUS BIEL,

BRUNSVICENSIS.

L I P S I Æ,

LITERIS HEREDUM BRANDENBURGERIANORUM.



A. Ω.

PRÆLIMINARIA.

De Prudentia, & qua Prudentiam promovet, Eruditione utilissima in rebus militariibus a Veteribus judicata, nec non de instituti ratione.

§. I.



Sapientibus in bello consilii multum semper esse tribuendum, jam pridem prudentiores existimantur. Quod si enim spatium respicimus præteriti temporis, videmus, plurimas orbis terrarum gentes militarem prudentiam multum semper æstimasse, imo maximam victoriarum partem ad eandem retulisse. Hoc multa loquuntur testimonia ab autoribus antiquissimis consignata, multa numismata temporum injuriæ erepta, aliaque signa & symbola passim memorata. Egregie ante omnia verbis hæc expressit Poetarum princeps Homerus, (a) quando maximum illum heroem Agamemnona ita introduxit canentem:

Ἄϊ γὰρ ζῆτε Πάτερ, καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
τοιῶτοι δίκαι μοι συμφερόμενοι εἶεν Ἀχαιῶν,
τῶ κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πρωτόμοιο ἄνακτι,
Χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν αἰετῶσα τι περὶ θομένη γε.

Optat hic enim Agamemnon in expeditione militari magni momenti ad finem perducenda non decem Ajaces, verum Nestores, nec illos solummodo, qui canitie venerabiles sint & proVectiori ætate, sed eos potissimum, qui sapientissimis consiliis & rerum gerundarum peritia inlatarescant. His

A 2

(a) *Iliad.* β. v. 371. sq.

si stipatus sit, nullum vel felicissimum rerum suarum successum desperat. Et numismata quidem quod attinet, ea potissimum huc refero, in quibus non Ægyptii solum, sed Græci etiam atque Romani dracones & serpentes, utpote prudentiæ symbola, sacros esse victoriæ voluerunt. (b) Quod autem cætera signa attinet, notum est, quod Græci etiam heroibus suis fortitudine insignibus dracones consecraverint, (c) Romani vero eosdem inter cætera militiæ signa receptos hastarum summitati aptaverint. (d) Nullam certe aliam ob rationem, quam ut animalium istorum circum spectam prudentiam tam illustrioris quam inferioris conditionis militibus intuendam atque imitandam ante oculos ponerent. Huc quoque pertinere existimo, quod Græci Minervam sive Palladem, quæ alias sapientiæ Dea habebatur, bello præfererint, eamque optimam & felicissimam militiæ moderatricem esse sibi persuaserint. Unde & apud Romanos Pompejus prospere confecto triginta annorum bello delubrum Minervæ consecratum & magnifice exornatum esse voluit, (e) & hoc ipso satis innuit, se omnem felicitatem, omnem rerum in oriente gestarum magnitudinem, omnem denique victoriam ad sapientissimorum consiliorum sagacitatem unice referre. Denique hinc quoque factum esse crediderim, ut Insuæres quondam in bellis magni momenti suscipiendis aurea signa, quæ immobilia vocabant, e templo Minervæ efferentes phalangi prætulerint. (f)

§. II.

Quemadmodum vero ex jam dictis haut obscurum esse potest, quod varii populi prudentiam in bellis gerendis maxime utilem, imo necessariam, judicaverint, ita ad illam obtinendam optimarum artium & literarum studia egregie facere, nemo facile in dubium vocabit. Recte omnino Casiodorus Bellator, inquit, (g) *in literis invenis, unde virtute animi roboretur*. Hæ profecto sunt, quæ ingenium acuunt, quæ promovent & augent sagacitatem, quæ auctam adornant, adornatamque ad præclara quævis ineunda calcare quodam mirifico rapiunt incenduntque. His subsidiis si milites, si duces præsertim instructi sunt, in consiliis inveniendis promptiores, in exe-

(b) Vide Ez. Spanhem. de Usu & Præstantia Numism. Diss. III. p. 125. (c) Plutarch. in Cleom. (d) Conf. Just. Lips. libr. IV. de Mil. Milit. Rom. Dial. V. (e) Plin. H. N. libr. VII. c. 26. (f) Si recte retulit Al. ab Alexandro Libr. I. Genial. Dier. c. II. p. 177. (g) Apud Gabr. Nannum de Studio Militari p. 467. Rom. 1637. in 4.

quendis paratiores reperientur. Neque hoc ignorarunt vetustissimi orbis terrarum populi, quos passim viros literis & philosophia probe imbutos ad militiam delegisse legimus. Placet hic erudite ac eleganter differenter audire Gabrielem Naudæum. *Minime*, inquit, *(h)* fortitudinem prudentiamque diviserunt antiqui illi populi bellaces, & certis vicissitudinibus rerum imperiorumque potiti, apud quos nullus insigniter doctus extitit, qui non esset miles, nec ullus miles strenuus fuit, qui non vicissim literatus haberetur, ut merito Sidonius Arrogastim laudans, parem eum esse antiquus dixerit lingua manuque; notumque est illud Catonis in Originibus pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem & argute loqui. Et amabo quos duces habuit Romana Respublica doctos Senatores? quos Græcia, nisi Philosophos, Oratores, Poetas? quos Gallia, nisi Druidas & Magos? quos Hebræi, nisi iudices aut sacerdotes? e quorum numero se ad militiam delectum fuisse auctor est Josephus in Vita propria. His addi veteres Danorum Poetæ Scaldi possunt, qui strenui bello viri fortia Regum gesta decantarunt. *(i)* Neque apud antiquos solummodo fuerunt, qui utilissimam hanc animi & corporis operationum concordiam, mutuo literarum & armorum fœdere sancitam, observarunt, sed sequiori etiam & recentiori ætate inventi sunt, qui eandem veterum consuetudinem haut sine laude renovarunt. Utrumque luculentius forte patebit, si ea, quæ jam meditator, paulo penitus benevolo Lectori introspicere placuerit.

§. III.

Operæ pretium enim duxi, cum Academicum quoddam specimen elaborandum esset, de illis, qui *Militia* æque ac *Scriptis* non minus olim quam sequioribus temporibus innotuere, Dissertationem pro ingenii modulo conscribere. Etsi enim generatim primum Milites Eruditos producere constitueram, attamen, cum nimium eorum deprehenderem numerum, *(k)* institutum mutavi. Neque & eos hic recensendos existimavi

A 3

Principes,

(h) libr. citat. p. 463, 464. *(i)* v. Th. Bartholin. L. I. c. 10. de Causis contentæ a Danis mortis.

(k) Ut pauca quadam ex multis selecta exempla producam eorum, qui literas quidem armis conjunxerunt, scripta tamen post se non reliquerunt, ex Græcis huc referendi sunt Critias, Dio Syracusius, Conon, Timotheus. Agesilaus, Philolaus, Chabrias, Phocion, alique magni Imperatores, quos Apollinem & Martem arctissimo consociasse vinculo hinc inde accepimus. Accedit Philopœmenes, qui, Suida referens, in præ-

Principes, qui scripta quidem reliquerunt, & expeditiones bellicas auspiciis suis suscipiendas curaverunt, neque ipsi tamen castra secuti sunt, vel

speciale

χης fuit Ἀρχαίων, sive Equitum Magister, & legit Βαβιλία σοφῶντα καὶ εὐδοκίμων περὶ Ἑλλήσι, καὶ ὅσα ἐς πολέμων μνήμων, καὶ εἰ τι ἦδὲ ἔχεν διδασκαλίαν τραγημάτων. Conf. Plutarch, in Philopœm. Ex Romanis nemo ignorat Lentulos, Craffos, Metellos ceterosque quam plurimos nobilissimos ac preclarissimos viros lituis ac literis deletatos. His quoque addi possunt varii Casares aliique Principes, qui pacis militæque studia non ipsi duntaxat diligenter simul tractarunt, sed in aliis quoque summopere astimarunt; e quibus brevitatis ergo ex sequenti etate Ferdinandum I Casarem, nec non Matthiam Corvinum, Hungaria Regem, laudatissimum Bœdensis Bibliotheca, quam hodie tamen inter deperditas deploramus, fundatorem nominasse sufficiat. Neque defuerunt ex ordinis Ecclesiastici viris, qui licet literis, usque sacratoriibus, fuerint imbuti, & muneribus quoque sacris præfecti, hæc tamen castra sua deserere, & in aliena, qua Martis sunt, transgressi sunt. Ut fidem dictis faciam, haut abs re fuerit nonnullos ejus familia breviter indicare. Primo autem huic pertinent varii Ecclesie Episcopi atque Pontifices, quos Vir de Jure Ecclesiastico meritissimus Casp. Zieglerus in Ἐπιθεροζύλω Ecclesiastico, seu Episcopo Milite in Veteri Ecclesia in viso (Witteb. 1674, 4.) passim ex probata fidei auctoribus delineavit. Deinde his subjungere quosdam possemus sedis Pontificie purpuratos. Sic enim de Alexandro Farnesio Cardinale ex Ciaconio retulit Anton. Sanderus (in Elog. Cardinal. sanctitate, eruditione & armis illustrium p. 192.) quod in acri illo & periculoso contra Protestantem in Germania bello, cum duabus Italie militum fortissimis legionibus aliisque copiis & mille cataphractis equitibus legatus auxilio Casari Carolo V venerit. Idem (l. c. p. 213 seq.) de Matthæo Longo, ut Jovio appellatur in Elogiis Militaribus, vel ut rectius, Sanderus contendente, dicitur, Schinero memorat, quod maximi plausus Concionator, & exactæ virtutis Imperator extiterit. Denique Johannem Vitellescum etiam & Othonem Truchses, pariter Cardinales, Martem secutos fuisse ex citato Sanderus (p. 219 & 265 sq.) palam est. Neque ignota sunt exempla recentiora Bernhardi sc. a Galen, Episcopi Monasteriensis, & Episcopi ejusdem Murciæ, quorum utriusque

7

speciale militiæ imperium habuerunt (1). Nec denique de illis viris sermo hic erit, qui castra quidem militaria secuti sunt ipsi, non tamen ut pugnarent, sed ut res bello gestas consignarent. (m) Methodum quod attinet in exemplis proferendis observandam, ordine Alphabetico uti commodum fuit visum, quam alios quoque in similibus secutos esse vidimus.

Cæ.

Ecclesiastica functione seposita munus militare suscipere placuit. Et postremus quidem Regi Hispaniæ Philippo V. in bello, quod adhuc continuatur, rebus suis haut exiguo fuit adiumento (Conf. Observat. Histor. Hamburgenses 1707 p. 102 & 114, 115.) His memoratis occurrant adhuc, qui interseri merentur, alii ex ordine Ecclesiastico milites, Pfeifferus nimirum Monachus Apostata, seditiosus quondam Thoma Muntzeri, (de quo in Dissertatione ipsa suo loco) in excitandis Thuringia moribus affecta, nec non Joh. Dav. Müllerus, primo sacerdos Oberwittachensis, & deinceps, cum in seditione, qua a 1705. m. Nov. in superiori Bavaria erupit, Chamum in superiori Palatinatu occupasset, ridiculo, quem sibi met ipsi dederat, titulo Florian Sigismund Maximilian Müller, Edler Herr von Althammerthal und Fronhosen/Brigadier, Commandant in Cham infamis magis quam celebris. De utroque lege, si placet, Dissertationem de Rustico seditioso, quam sub Præs. D. Imman. Weberi defendit Ge. Melch. Hoffmann, Gießæ 1707, & Conf. Nov. Lit. Germ. 1707. m. Xbr. p. 424. sq.

- (1) *Ex eorum numero est Claudius Cæsar, sub cuius auspiciis Britannia a Romanis est occupata, quemque Græcas scripsisse Historias Τὸ πρῶτον XX, καὶ ἔξοντα ἑξῶν VIII Suetonius memorat c. 42. Conf. Auctores citat. a Summo Rev. D. G. H. Goetio in Principe Græce docto p. 7: nec non ex Daniæ Regibus Ericus X (sive IX, ut ab iis appellatur, qui filium Christophori II. Dan. R. Ericum pariter appellatum, quod nunquam, a Patre licet regio diademate ornatus, clavum imperii tenuerit, excludunt,) quo regnante expeditiones quidem bellicæ susceptæ sunt, quibus tamen ipse non interfuit. Scripsit autem præclaram Historiam de Origine Gentis Danorum, de Regibus eorundem, & rebus gestis ad an. usque 1288. continuatam, que adhuc superest.*

Tales fuerunt Philænius, & Sosilus, quos cum Hannibale vixisse in castris & vitam eius descripsisse Cornel. Nep. c. ult. in Hannib. testatur. Tales fuere etiam Polybius atque Panætius, quorum uterque varia scripta

Cæterum ut levioribus hisce primitiis faveas, benevole Lector, plurimum te rogo. Ita enim futurum spero, ut in largiorem aliquando segetem, favente Numine, excurram. Vale.

I. **ÆLFREDUS,** **I**Nter heroes scriptis claros primo loco haut immerito ponendus Rex Anglo-Saxonum ÆLFREDUS, qui, Danis sæpius acie victis, universæ Angliæ atq; Cambriæ imperavit. (a) Nam & A. 870 fratri Æthelredo, precibus unice intento, nondum Rex insignem victoriam comparavit, & vix ipse ad Regnum pervenerat anno sequenti, cum fortissime cum Danis pugnavit ad Wiltunam. (b) Hinc postquam Danorum castra citharædi personam indutus explorasset, illos cum parva manu adortus A. 878 ingenti prælio vicit. (c) Ut alia taceam fortitudinis ejus documenta. Sed ad scripta ejus veniamus. Nihil dicam de præclara illa Regni Notitia, quam vel ipse in tabulas retulit, vel ab aliis jussit referri, postea a Gulielmo Victore descriptam auctamque, & hodie sub, *Domes-Daybook* insignem. (d) Nec immorabor Præceptis & monitis, quæ sub nomine Ælfredi Regis in Cottoniana, (e) aut Parabolis eidem adscriptis, quæ in Bodlejana Bibliotheca extant, (f) aliisque scriptis, quorum complura Baleus (g) & Pitseus (h) enumerant. Boethium de Consolatione in linguam Saxoniam tanta arte & elegantia transtulit, ut auditores prælectum lacrymis prosequerentur; quam versionem Hadr Junius vulgavit. (i) Pariter & transtulit Gregorii Papæ de Cura Pastoralis librum in Bodlejana conspicuum, ejusque exemplar cuiuslibet Ecclesiæ cathedrali destinavit, (k) & Pauli quoque Orosii Historiam, cui titulus *Hormesta*

consignavit. Ita autem de illis Vellejus libr. I. Hist. Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. *Ut Procopium aliosque in presentia taceam.*

- (a) v. Jo. Spelmanni Vitam Ælfredi M. ed. Ox. 1678 fol. Libr. I. c. 101.
 (b) *Jd.* l. c. cap. 28, 31. (c) *Jd.* c. 56, 59. (d) *Jd.* libr. II. c. 28. (e) *Jd.* c. 45. (f) *Jd.* c. 47. & p. 98. in not. (g) Catal. Script. M. Britan. cent. 2. c. 7. (h) De Script. Illustr. Angl. p. 170. (i) v. Vit. Ælfredi cit. p. 166. in not. (k) G. Hickes Thes. Lingu. Sept. T. II. p. 70, 71.

masa ea quidem libertate Saxonice vertit, ut quævis pro arbitrio adderet, mutaret, interpolaret, & navigationum aliquot Boream versus instituta- rum Commentarios adderet. (l) Unde fallitur Wilhelmus Nicolson, qui præter fragmentum Historiæ Regum West-Saxonix (m) & versionem Bedæ nihil ex Ælfredi operibus superesse credidit. (n) Quid de Bedæ versione existimandum sit, lubet optimi judicis G. Hicckesii verbis eloqui: Nil Regiis versionibus perfectius dici potest. Bone Deus! quam in illis nativus, facilis & simplex sermo, præcipue in Ecclesiasticæ Historiæ Bedæ paraphrasi, cujus augustissimum Auctorem sive dictionis in ea puritatem, si- ve perspicuitatem styli, sive hypotyposin illam miram, qua res omnes quasi ob oculos legentis ponit, spectes, Cæsari in dicendo equalem censebis. (o) Edidit Bedam cum hac versione doctissimus Wheloc Cantabr. 1644. fol. qui eam quidem Ælfredo non audent asserere. (p) Oxoniensem Academiam hic Ælfredus sive instituit, (q) sive instauravit. (r) Decessit vero anno circiter 900.

Jam ex Græcis caput extollit grandiloquus ille & ἐριβειμέτας (s) cothurnatorum Parens, ÆSCHYLUS, Euphorionis filius, & virtute bellica, & scriptis Tragœdiis clarissimus. Bellicam quidem quod virtutem attinet, non ea solummodo in navalibus præliis emicuit, ad Artemisium Eubææ promontorium & Salaminem, duce Themistocle commissi, sed antea terrestri etiam in campo Marathonio Olymp. LXXII. facta, ubi una cum aliis fortissimis viris victor incredibili virtute decertavit. Cujus victoriæ gloria adeo infederat menti ipsius atque inveteraverat, ut, cum finem sibi vitæ instare præsentiens, res præcipuas suas in vita gestas carmine, ut ita loquar, cygneo describeret, cæterorum factorum exigua imo nulla cum laude fecerit mentionem, in pugna autem Marathonica suam ipse virtutem haut perfunctorie celebraverit. Pausanias ait: καὶ δὴ καὶ ἀρχύλας, ὡς οἱ τῆς βίης προσεδόκατο ἢ τελευτῆ, τῶν μὲν ἄλλων ἐμνημόνευσεν ἔθενός δ' ὄ-
B ξη

II.
ÆSCHY-
LUS

- (l) Id. l. c. p. 85. conf. Act. Er. 1706 p. 195. (m) Extat in Append. IV ad Vit. Ælfredi cit (n) Engl. Hist. Libr. T. I. p. 119. (o) Præf. ad Gramm. Angl. Sax. p. 12. (p) Nicolson l. c. T. II. p. 37. (q) Ita Jo. Spelmann. statuit in Vit cit. L. II. c. 64. & Libr. III. c. 20. sq. (r) Etiam ante Ælfredi tempora floruisse Academiam probare conatur Anton. Wood Hist. Un. Ox. L. I. p. 13. & L. II. p. 30. sq.
- (s) Ita audit Aristophani, observante Suida in v. ἐριβειμέτας ex Aristopha-

Ξης ἐς τοσῶτον ἦκον ἐπὶ ποίησιν, καὶ πρὸ Ἀρτεμισίης καὶ ἐν Σαλαμίνι ναυμαχίας. Ὁ δὲ, τότε ὄνομα προτεθέν, καὶ τὴν πόλιν ἔγραψεν, καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας μαρτυρεῖ, ἔχει τὸ Μαραθῶνιον ἄλσος, καὶ Μῆδων τὰς ἐς αὐτὸ ἀποβάοντας. (t) Qui Pausaniæ locus cum partim haut fatis recte perceptus ab Interpretibus (u) videatur, aliam explicationem tentemus. Hinc certe etiam Æschylus, cum vita sibi finem propius adesse sentiret, carmen in sui ipsius memoriam composuit, in quo aliarum rerum ab ipso gestarum sine omni laude meminit, cum inter alia scilicet ad ea perveniret, quod prope Artemisium & Salaminem navalibus interfuerit præliis. Hic vero, cum Marathoniciæ pugnæ memoriam celebraret, non solum nomen suum interfert una cum patria, sed etiam ad rem magis exaggerandam testes virtutis suæ Marathonium nemus, & Persas, qui illuc descenderant, appellavit. Quibus ex verbis an colligi liceat, monumentum, quod in ejus memoriam habemus, sibi met ipsi composuisse Æschylum, ejusque rationem hoc loco Pausaniam habuisse, ut viri doctissimi Joach. Kuhnii (x) & Bælii (y) animadvertere voluerunt, quibus ad stipulari etiam videtur Cl. Fabricius, (z) ego quidem non video. Ita autem Epitaphium illud sonat:

Αἰχύλον Εὐφορίωνος Ἀθηναῖον τόδε κεύθει
 Μνήμα κατὰ Φθίμενον πρυοφόροιο Γέλας.
 Ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθῶνιον ἄλσος ἀν' εἴποι,
 Καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιτάμενος.

Licet enim ibi pariter nomen Æschyli una cum patria nominetur, & quod ad Marathonem fortiter pugnaverit, nulla tamen plane mentio fit pugnarum navalium ad Artemisium & Salaminem commissarum, quarum tamen in carmine

nis Scholiasta ad Ran. (t) v. Pausan. in Attic. p. 35. edit. Kuhn. (u) Ita enim vertit Romulus Amasens: Hinc præcipue, ut credam, adducor, quod Æschylus, cum prope jam esset, ut e vita decederet, qui de se ipse ante profus conticuerat, vir tanta in Poesi nominis celebritate, cujusque virtus navalibus præliis ante Artemisium & Salaminem enituerat, de Marathoniciæ pugna cum suum carmen ederet, in ipsa operis fronte suum & patriæ nomen inseriplit: Marathonium enim saltum & Persas, qui illuc descenderant, suæ virtutis testes citat. (x) Ad Pausan. l. c. (y) In Dictionar. p. 168. edit. secundæ. (z) Bibl. Græc. Libr. II c. 16. p. 587.

mine isto, cujus Pausanias meminit, mentionem, licet sine omni laude, factam esse, idem Pausanias diferte testatur. Adde, quod ipse Pausanias hymnum istum nusquam monumentum nominet sepulchrale, sed tale potius carmen indiget, quo Æschylus ipse facta sua consignare & relinquere posteritati voluerit. Sic enim & Horatius Odam quandam (aa) composuit, qua nominis sui nunquam intermorituri famam ex Poesi impetratam ipse decantat, quam tamen nemo facile dixerit monumentum ejus sepulchro impositum extitisse. Cæterum non ipse modo Æschylus virtutem bellicam in prælio Marathonio declaratam laudavit carmine, sed ut ex antecedentibus colligere licet, cives Gelæ, urbis in Sicilia sitæ, ubi mortuus est, monumento honorarunt. Quin ipsos quoque Athenienses fortitudinis ejus admiratio ita rapuit incenditque, ut, licet aliquando parvam apud eos gratiam iniverit, & διὰ τὸ πεσῆν τὰ ἰαγρία ἐπιδικουμένους αὐτῶν, vel ob collapsa theatri tabulata, ipso tragœdiam repræsentante, in Siciliam aufugere debuerit, (bb) nihilominus ipsi jam dudum mortuo, ni fallitur Pausanias, statuam erexerint, eidemque inscriptionem, qua jam antea rerum ad Marathonem ab ipso gestarum memoria colebatur, addiderint. Pausaniæ verba hæc sunt: (cc) Τὴν δὲ εἰκόνα τῆς Ἀχιλλεύου πολλῶτε ὕστερον τῆς τελευταίας δοκῆ ποιηθῆναι, καὶ τῆς γραφῆς, ἢ τὸ ἔργον ἔχει τὸ ἐν Μαραθῶνι. Quemadmodum itaque exinde satis superque patet, quod Martem secutus palmam haut ignobilem reportarit, ita Musarum quoque castra amans longe plura ἐπινομία canendi occasionem habuit. Suidas (dd) enim de ipso testatur, quod in tragœdiis octies & vicies, vel, ut alii volunt, decies ter supremus discesserit. Cætera, quæ de Æschylo nostro, ipsiusque Tragœdiis tam adhuc extantibus, quam deperditis, aliisque scriptis memoratu digna observavit Cl. Fabricius, hic repetere supervacaneum esse plane existimo. Natus est Olymp. LXIII, denatus Olymp. LXXVIII. Nihil addo, præterquam elegans de ipso eruditissimi Heinsii (ee) elogium, ab instituto nostro haut alienum, quod ita sese habet: *Lande militari maximus vir Æschylus, liberatorem totius Græciæ animum ad hoc institutum (Trag.) cum adferret, paria dixit ac fecit. Sane ad tubam etiam scripsisse credas. Ad eo sublimis in oratione ac grandis, verbisque, quibus utitur, ipsis prope paribus, heroicam & audacem dictionem effundit.*

Ad ALCIBIADEM progrediamur, Clinix filium, Hunc Atheniensem,

B 2

post

III.
ALCIBIA-
DES.

(aa) Libr. III. Carm. Od. ult. (bb) v. Suid. in v. Ἀχιλλεύος. (cc) in Attic. p. 49, (dd) l. e. (ee) in Dedicat. Senec. Tragœd.

postea Lacedæmoniorum, dein Persarum, denique rursus Atheniensium fuisse ducem, & multa terra marique præclara gessisse, ex Thucydide, Plutarcho, Nepote atque Justino aliisque passim notissimum. In tractandis literis & Philosophiæ studiis, præter Sophilum, usus est Socrate, (ff) qui tanto ipsius amore exarserat, ut cum commilito ipsius esset in prælio ad Potidæam, & graviter vulneratum Alcibiadem videret, ante eum profiliens, ipsum ab hostium vi & potestate factum tectum conservavit; (gg) ita ut haut immerito dicere liceat, Alcibiadem Socrate usum esse protectore in campis, & doctore in Lycæo. Rhetorem atque Philosophum eum appellat Suidas. (hh) Et Ciceronis ævo adhuc Orationes quasdam ejus extitisse, exinde colligas, quod idem Cicero in Libro III de Oratore (ii) præter Periclis atque Thucydidis scripta, Alcibiadem quoque laudat, quod *subtilis fuerit, acutus, brevis, sententiis magis quam verbis abundans.*

IV.
ALCÆUS.

Alcibiadem, ut ordo noster jubet, sequitur ALCÆUS Mitylenæus, a Tragico ejusdem nominis Atheniensi, cujus mentionem faciunt Suidas & Macrobius, (kk) & Epicuræo, quem a Romanis urbe ejectum fuisse Ælianus (ll) testatur, distinguendus. E bello quidem parum laudis retulit. Cum enim cives ipsius de Sigæo urbe cum Atheniensibus dimicarent, & Athenienses in prælio evaderent superiores, Alcæus noster, abjectis armis fuga salutem quæsit, quæ postea Athenienses in templo Minervæ suspenderunt. Herodotus: (mm) Πολεμούντων δὲ σφέων (Μιτυληναίων) καὶ ἄλλα πικρὰ πάντοια ἐγένετο τῆσι μάχῃσι· ἐν δὲ δὴ καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητὴς, συμβολῆς γενομένης, καὶ νικάντων Ἀθηναίων, αὐτὸς μὲν φεύγων ἐκφεύγει, τὰ δὲ οἱ σπλά ἴσχυσι Ἀθηναῖοι, καὶ σφεῖ ἀνεκρίμασαν πρὸς τὸ Ἀθηναίων τὸ ἐν Σιγείῳ. Quam calamitatem Alcæum versibus mandasse, eosque Mitylenen ad Melanippum amicum mississe, idem Herodotus eodem loco his verbis indicat: τὰυτα δὲ Ἀλκαῖος ἐν μέλει ποιήσας, ἐπιτιθεῖ ἐς Μιτυλήνην, ἐξαγγελλόμενος τὸ ἐὼν τῷ πάθει Μελανίπῳ ἀνδρὶ ἐτάειν. Sed non hos tantum versus reliquit, sed ei Pausanias (nn) etiam tribuit ὕμνον τὸν ἐς ἐρμῆν, & alio loco (oo)

(ff) v. Suid in Ἀλκιβιάδης. (gg) Ut ipse Alcibiades hæc exponens introducitur a Platone in Sympol. p. 335 edit. Lugd 1590. (hh) l. c. (ii) p. 211. edit. Paris 1606. in 4. (kk) Libr. V Saturn. c. 20. (ll) Libr. IX c. 12. Var. Hist. (mm) In Terplich. (nn) In Achaic. p. 574. (oo) in Phocic. p. 817.

προοιμίς ipsius meminit τῆ ἐς Ἀπόλλωνα. Imo Suidas etiam appellat ipsum quintum scriptorem Comœdiæ antiquæ, & tribuit illi decem dramata, quorum sex ἀδελφοὶ sc. μηχανομέναι, Γανυμήδης, ἐνδυμίωv, ἰστροῦ γάμος, καλλιῶ, atque παλαίστρα ex Athenæo, Polluce, Prisciano diligenter Cl. Fabricius (pp) adnotavit. Hæc omnia tamen carmina una cum commentatoribus eorum, (qq) præter pauca fragmenta quædam, quæ ab Henr. Stephano cum cæterorum Lyricorum carminibus impressa prostant, temporis injuria perierunt. De stylo ejus audiamus Quintilianum. (rr) *Alcæus, inquit, in parte operis merito aureo plectro donatur, qui Tyrannos insectatus, multum etiam moribus confert, in eloquendo quoque brevis & magnificus & diligens, plurimumque Homero similis, sed in lusus & amores descendit.* Horatius (ss) appellat Camœnas Alcæi minaces. Quam ignominiosos autem titulos in Pittacum congesserit Alcæus noster, ex Laertio (tt) satis notum est. De supplicio ejus legi merentur, quæ Isæacus Vossius ad Catullum (uu) observavit.

ALEXANDRUM M. orbis terræ Monarcham, cujus res gestas haut facile cum aliis nec eventuum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate bellorum, nec celeritate conficiendi conferas, si scripta, quæ sub nomine ejus circumferuntur, genuina essent, (xx) pariter huc referri posse, nemo profecto in dubium vocaret.

Sed mittentes illum ad AMMIANUM nos convertimus MARCELLINUM, Antiochia oriundum, quippe qui meliori jure hic ascribendus videtur. Testes hujus rei esse possunt non solum variæ ipsius expeditiones tam in Orientem, quam in Occidentem, temporibus Constantini II & Juliani Cæsarum susceptæ, imo prælia obsidionesque, quibus luculenter satis virtutem bellicam declaravit, sed artium quoque optimarum studia, quibus post militiam ævo Valentiniani

V.
ALEXAN.
DER M.

VI.
AMMIANUS
MARC.

B 3

(pp) Bibl. Græc. Libr. II c. 19 p. 634. (qq) Sic enim Horapollon Grammaticus Alexandria in Aegypto & postea CPoli docens ὑπόμνημα reliquerat ad Alcæum, & Dracon, Grammaticus Stratonicensis, scripserat περὶ τῶν Ἀλικαίης μέλων. v. Suid. in v. ἑραπόλλων & Δρακόν. (rr) Instit. Orat. Libr. X c. 1. (ss) Libr. IV Carm. Od. IX. (tt) in Vit. Pittac. (uu) p. 42. (xx) Conf. de iis Fabric. Bibl. Græc. Libr. II c. 1 op. 415, 416 & Libr. III c. 3 p. 204 sq.

tiniani & Valentis, Gratiani atque Theodosii diligenter adeo vacavit, ut & eorum haut vulgaria post se reliquerit monumenta. Scripsit enim XXXI *Historiarum Libros*, quibus res Romanas ab exordio Nervæ ad Valentis obitum summo ingenio, perspicaci iudicio, & eruditione haut vulgari, dictione tamen, quod omnes facile fatentur, militari, aspera atque obscura comprehendit. Quorum tamen hodie XVIII tantummodo supersunt. Plura de ipso & scriptis ipsius noscere cupiens, adeat Vossum, (yy) Valesium, (zz) Reinhardum, (α) Fabricium (β) aliosque.

VII.
ANDOCID.
DES.

Properamus ad ANDOCIDEM, Leogori filium, Atheniensem, Olymp. LXXVIII anno I. natum. Superstes adhuc fuit Olymp. XCV. post liberatam a Thrasybulo Atheniensium remp. & tandem in exilio defunctus est, (γ) Cum Coreyraï bello implicati essent cum Corinthiis, Athenienses illis contra Coreyraos viginti naves miserunt auxilio, quibus nostrum una cum Glaucone Leagri filio præfuisse Thucydides (δ) memorat. Eundem vero fuisse haut postremum ex decem illis Oratoribus, qui ætate sua reliquis eloquentiæ palmam præripere, ex Suida (ε) & quos ad eum citat Cl. Kusterus, Plutarcho, Photio & Tzeze abunde liquet. De quatuor ipsius, quæ adhuc supersunt, Orationibus, aliisque deperditis, Cl. Fabricius (ζ) est consulendus.

VIII.
ANNIBAL.

Neque vero etiam ANNIBALEM, Carthaginensium Imperatorem fortissimum, & consilio, & virtute rebusque bello gestis maximum, præterire hic possumus. Primo illum septendecim annos in castris & acie fuisse versatum, plurimasque gentes barbaras peragrassè Suidas ex Polybio, ut Lud. Kusterus obiervat. (η) testatur. Fusus bellicas ejus expeditiones Plutarchus, Nepos, alii que narrant, ex quibus inter alia discimus, quod apud Ticinum P. Cornel. Scipionem, apud Trebiam T. Sempronium, apud Cannas Romanorum exercitus fuderit, & internecone penitus deleverit.

(yy) *De Hist. Latin. Libr. II. c. 9.* (zz) *In præfat. ad Ammian. edit. Paris 1681. fol.* (α) *In Theatr. Prud. Eleg. Libr. I. c. IX §. 9 (62.)* (β) *In Bibl. Latin. Libr. III. c. 12 p. 612. sqq.* (γ) *Conf. Plutarch. in vit. Andocid.* (δ) *Libr. I p. 35 edit. Stephan. 1588.* (ε) *In v. Avdokidns.* (ζ) *Bibl. Græc. Libr. II p. 849.* (η) *Ad Suid. in v. Avdikas.*

verit. Deinde vero literas quoque & artes hunc Martis gloria præstantissimum virum haut neglexisse, imo ad scribendum se contulisse pariter accepimus. Juvat in testimonium hujus rei Nepotis verba hic adducere. *Atque hic tantus vir, inquit de illo, (θ) tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit literis. Namque aliquot ejus libri sunt Græco sermone confecti: in his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus gestis.* At hi quoque libri hodie non amplius supersunt.

Accensendus his **MARCUS AURELIUS ANTONINUS** Cæsar. Expeditionem ipse adversus Quados & Marcomannos suscepit, legione fulminatrice (ι) satis notam & celebrem. Cæterum non modo Philosophi cognomen impetravit, quod incredibile Zenonis atque Chrysippi placitorum amore captus in Stoica Philosophia excolenda omne, quod ab Imperii administratione ipsi supererat, tempus consumeret, (κ) sed libros etiam scriptos reliquit. (λ) Quorum familiam ducunt duodecim illi καὶ ἑαυτὸν, ex fortuitis meditationibus, & in ipsis sæpe castris, ut ex libri sive capituli primi fine patet, scripti, quos Oxoniensis quidam Anonymus post Guil. Xylandræ, Annotatorem illum Lugdunensem, Mericum Casaubonum, Collierium, Th. Gatakerum & Dacierium, recognitos & notis illustratos Oxoniæ e Theatr. Sheldon. 1704 in 8. edidit. In cujus editionis fine Epistolæ quoque adjunctæ sunt Antonii nomen præferentes, quas tamen supposititias esse dudum eruditi suspicati sunt.

Relicto Antonino pergamus ad **ARRIANUM NICOMEDENSEM** eodem tempore clarum. Hic enim præter cætera, quæ togatus haut sine laude sustinuit, amplissima munera, strenuum quoque sese ducem bellicum adversus Alanos & Massagetæ gessit. (μ) In

ad-
(θ) In Vit. ejus cap. ult. ubi etiam refertur, quod Annibal Græcarum literarum doctorem habuerit Sositum, qui postea quoque, una cum Philenio res gestas ejus descripsit. (ι) De qua Dan. Larroquanus, Matthæi. pecuniarum Diatriben edidit Lugd. Bat. 1688 in 8. oppositâ imprimis Baronio & Herms. Wilsio quorum de eadem materia Dissertationes inter Eruditos prostant. Conf. & Dacer. in vita Antonini, quam adjunxit Libris XII Antonin. καὶ ἑαυτὸν, Gallice a se versis notisque illustratis, & Zimmermann. in Analect. Mensir. p. 129. sq. (κ) v. Act. Erud. 1707 m. Septembr. p. 401 (λ) Conf. de iis Autor. citat. a Summe Rey. Gatzio de Princ. p. Grace docto p. 9. (μ) v. Dio Libr. LXXIX.

IX.
ANTONINUS.

X.
ARRIANUS.

addiscenda Philosophia Epicteto magistro usus est, cuius & dis-
fertationes obiter in via, domo, scholaque habitas, diligenter collectas
digesit, (v) & varia etiam alia scripta ex suo ingenio profecta re-
liquit. Plura de illis, tam quæ adhuc supersunt, quam quæ inter-
ciderunt, præter Photium, Meursium & Vossum Fabricius (ξ) sup-
peditat. Vitam ejus, Suida teste, (o) descripserat Dio Casius, quæ
tamen, quod dolemus, injuria temporis nobis subducta est.

XI.
LUD. AB A-
VILA.

Hinc producimus ex Hispania LUDOVICUM AB A-
VILA ET ZUÑIGA. Claruit is Caroli V. temporibus, cui &
a consiliis fuit intimis, & militiæ præterea Alcantarensis præfectus,
vir tam in aulicis expediendis negotiis, quam in belli capiendis con-
siliis, conficiendisque, mira quadem dexteritate præditus. Com-
mentarios reliquit de Bello Germanico a Carolo V. Cæsare maxime ge-
sto lingua vernacula sive Hispanica descriptos, quos postmodum
Wilhelmus Molinæus, Brugenfis, Latine se redditos, iconibusque
ad Historiam accommodatis illustratos, edidit Antverp. 1550 in
8. Argentorati postea 1620 in 12. ac alibi recusos, (æ) Germanice
vertit Philippus Magnus, Dux Brunsvicensis. Laudatur ejus fides
Excell. G. B. Struvio. (g)

XII.
BELLAJ.

De MARTINO & GUILIELMO BELLAJO, fratri-
bus, utroque tempore Francisci I, Galliæ Regis, tam rebus bello ge-
stis, quam scriptis commentariis clarissimo, hic repetere ea, quæ in
Schediasmate, quod hoc ipso anno sub Præsidio Excellentiss. Dni Præ-
sidis publicè ventilatum prostat, liberali manu prolata sunt, (σ)
supervacaneum esse existimo.

VIII.
ANNIBAL.

REMIGIUS BELLAQUA (BELLEAU) virtute bellica
nobilis, (τ) Caroli Lotharingi, Elbovii Marchionis Præceptor,
in Plejade Poetarum Gallorum coruscavit, & *Pictor nature* voca-
re meruit, (υ) quod in emendandis poematibus iisque colore qua-
si

(v) *Conf. Just Lips. Philos. Stoic. Libr. I. c. 19.* (ξ) *Bibl. Græc. Libr. IV c. 8.* (o) *v. Δίον ὁ Κασσιός (π) Confer. Mich. Herrzius in No- tit. script. German. n. 594.* (g) *Bibl. Hist. Sel. p. 17; conf. Zeiller. Hi- storic. P. II p. 8.* (σ) *p. 8. sq.* (τ) *Sammarthan. Elog. L. 3.* (υ) *Thu- an. L. 64. ad an. 1577, quocum conf. Teisier Addit. aux El. de Thou P. I. p. 467 & P. III p. 264.*

si quodam exornandis multum laboraret. (Φ) Nec Græcarum literarum expertus fuit, quippe Anacreontis Odas Gallico carmine expressit, quanquam Scuderia multum suavitatis decessisse Poetæ Græco censeat, quod facile sibi persuadent, qui Bellaquam sobrio vitæ genere nunquam non usum norunt. (χ) Recensuit ejus Opera Verderius, (ψ) quæ adeo repetere non opus est. Vita defunctus est d. 6. Mart. 1577. Epitaphium illi Baif, elegans pariter e Plejade Poeta, hoc posuit:

O qualem capsula virum regis!
Probus, suavis, comis ille Bellaqueus,
Prudensque, doctusque, elegansque
Hic jacet.

Accedit FRANCISCUS BLONDELLUS, pariter natione Gallus, Regiorum Galliæ Exercituum, dum viveret, Marefchallus, & Delphini Mathematicus, variis scriptis celeberrimus. Ex his sequentia potissimum mihi innotuerunt idioma Gallico pervulgeta. *Comparaison de Pindare & de Horace* Paris. 1673 in 12. (ω) *Figures & Notes a l' Architecture Francoise des Batimens particuliers ecrite par Mr. Louis Savot* ibid. 1676 in 8. *Cours d' Architecture enseigné dans l' Academie Royale d' Architecture* ibid. eod. an. in fol. *Histoire du Calendrier Romain* ibid. 1682. in 4. *L' Art de jetter les bombes* ibid. 1683 in 4. Obiit anno 1686 Cal. Febr.

XIV.
BLONDEL-
LUS.

Nec immerito forte hic locum inveniet SYLVESTER BOTTIGELLA, sub nomine Hispanico l' Iguale inter Academicos Ticinenses, *Affidati* dictos, notus. Is cum literis juvenis probe imbutus esset, adultior factus belli fortunam experiri voluit, quam etsi initio adversam habuit, Clusa quippe, cum Carolo V militaret, a Mauritio depulsus, quam tuendam cum trecentis militibus susceperat; variis tamen expeditionibus exinde inter fuit. At Poesin pariter exornavit, & scripsit Carmina, quæ illo ævo plures admirati sunt, & celebratur illud Carolo V multum probatum, cujus initium:

XV.
BOTTI-
GELLA.

C Un

(Φ) Ita putat Baillet Jug. sur les Poetes P. III p. 330. (χ) V. Baillet l. c. p. 331. (ψ) Bibl. Franc. f. l. conf. Perroniana p. 21, Sorrel Bibl. Franc. p. 202 (ω) *Scriptum istud iterum prodit Lugd. Bat.* 1704, & quidem Latinitate donatum cum aliis ejus generis libris, vide infra sub Tir. Palmerius.

Un'altra volta la Germania stride. (aa)

XVI.
BREHM-
IUS.

De CHRISTIANO BREHMIO ita adserit Autor doctissimus, qui sub literis initialibus M. E. N. latere voluit, seu M. Erdmann Neumeister, Superintendens hodie & Consil. Eccles. Soraviae, quem nobis amicissimum lubenter hoc loco appellamus: (ββ) *Christianus Brehmius Lipsiensis, signifer primum, dein Vicarius Centurionis, post Sr. Elect. Saxon. a Camera & Bibliotheca, tandem Consul Dresdensis. Præter Carmina varia ejus scripta possidemus: Neue Hirten-Lust sub nomine Corimbo, Dresden/ 1647 in 8: Allerhand lustige traurige und nach Gelegenheit der Zeit vorgekommene Gedichte. Leipz. 1637 in 4. Spiritu mediocri Poeta, & qui rhythmos torquet magis quam ligat. Multis in locis vox est, prætereaque nihil.*

XVII.
BROUCK-
HUSIUS,

At dignus ante alios est, cujus hoc loco mentionem faciamus, JANUS BROUCKHUSIUS, Belga, nostræ ævi Propertius. Is cum scholam relinquere admodum puer parentum jussu cogeretur, myropolæ traditus, ut artem parandi medicamenta addisceret, adeo a servilibus operis abhorruit, ut excelsioris ingenii stimulis agitated, cum navem forte ad Indos excurrere comperisset, relicta taberna illi se crederet. Hic rei navali a primis annis adusus gradu promotus est, & capitaneus demum navis factus nunc huc nunc illuc excurrit. Inter hæc librorum lectione unice cœpit delectari, nec occultas ad carmina sensit vires; cumque linguæ Latinæ ad discendæ percupidus esset, Celeb. Grævium auctorem habuit, ut privati aliquamdiu præceptoris opera uteretur. Hic annum ætatis vigesimum dudum supergressus, intra aliquot menses adeo profecit, ut paucos haberet pares. Certe ex quo Amstelodamenses eum urbis suæ centurionem, constitutis annuis mille florenis, dixere, ita se literis dedit, ut Poetas Latinos omnes haberet in numerato, quem admodum amicus Brouckhusii, & Fautor noster eximius, Gottfridus Thomafius, Jac. F. Norimbergensium Polyhistor, haut ita pridem nobis retulit. Ejus *Carmina Latina* Ultraj. 1684. 12. prodire, (γγ) & profiant quoque Belgice *Gedighen van J. v. Brockhuizen en J. Pluimer*, Amst. 1677, 8. Majoris tamen momenti sunt, quæ ἀνονήμως edidit.

Ut
(aa) v. Luca Contile Ragion. sopra l' Imprese con le Particulari de gli Academici Affidati P. II p. 53. (ββ) in Diss. de Poetis Germ. p. 18. (γγ) v. *Elog. in Act. Erud.* 1684. p. 547.

Ut enim taceamus elegantissimas *notas Act. Sinc. Sannazarii Poemati-*
bus Amstel. 1689, 12. additas, quæ multam imprimis historiae litera-
 riæ noticiam produunt, prostant *S. Aurel. Propertii Elegiæ* Amstelod.
 1702, 4. doctissimo Brouckhusii commentario illustratæ, (dd) & pau-
 lo ante ejus obitum *Albii Tibulli Carmina* eodem ornatu instructa abso-
 luta sunt, Amstel. 1708, 4. edita. Diem supremum obiit sub finem
 anni præterlapsi, mense scilicet Decembri, cujus vigesimo die in pago
 Amsterveen prope Amstelædamum sito terræ mandatus est. (ee) In E-
 pitaphio, quod in honorem ejus atque memoriam erectum nuperrime
 accepimus, ipse accumbens capite tamen erecto laurea que ornato ap-
 pareret. Manibus tenet symbolum: ARTE ET MARTE. In-
 ferius conspicuum est sequens, quod laurus & signa quædam militaria
 ambeunt, Chronostichon:

PRINCEPS
 POETARVM
 DECESSIT.
 MDCCVII.

Et ad pedes denique hujus monumenti hic observatur versus:

Dux fuit hic Janus Brouckhusius atque Poeta.

XVIII. Poetam excipit Poeta HULDERICUS BUCHNERUS.

Natus est anno Christi 1560 in pago ad ditionem Norimbergensem
 spectante, unde se Norimbergensem quoque appellare solitus est.
 Anno 1582 summo Philosophiæ titulo ornatus ad Theologiam se con-
 vertit. At paulo post, nescio quo concitatus casu militatum in Itali-
 am abiit. Deinde in patriam reversus Musici munus Werthemii
 obtinuit. Horis subcisivis totus in Poesi fuit occupatus, ita, ut præ-
 ter cætera carmina anagrammata plus quam septingenta reliquerit.
 Vita functus est A. 1652. d. 12. Maj. (ff)

Hic non possumus non interferere exemplum MARCI JU-
 NII BRUTI. (gg) De illo enim ex Plutarcho notum est, quod in
 medio ardore belli civilis paulo ante, quam pugnatum est in campis

C 2

Phar.

(dd) v. Act. Erud. 1702 p. 296. (ee) Nov. Lit. Germ. 1708 m.
 Jan. p. 10. (ff) Conf. Wilck. in Eortograph. Part. II. p. 196. (gg)
 Alius hic est a L. Bruto parente, qui, Cicerone teste libr. II de orat.
 p. 232. tres de jure civili Libros scripsit.

XVIII.
 BUCHNE-
 RUS.

XIX.
 BRUTI.

Pharalâicis, in castris Pompeji versatus librorum Polybii Epitomen fecerit. (θθ) Epistolas quoque satis elegantes reliquit, de quibus Suidas: *Θαυμάζεται δὲ εἰς τὴν τῶν ἐπιστολῶν ἰδέαν, ἣ γὰρ χαρὰ κτῆρα.* Et a Cicerone ob concisam dictionem & brevitatem, quam *λακωνισμόν* Græci appellant, magister brevitatis salutatur. (υ) Prostant plures ejus Epistolæ nitidissimæ inter Epistolas Græcicas mutuas a Jac. Cujacio vulgatas, p. 108. sq. Cæterum, quæ Brutus bello gessit, ex Plutarcho, Dione aliisque abunde constant.

XX.
BURGUS.

Non immerito in censum hunc referemus etiam PETRUM BAPTISTAM BURGUM, Januensem, virum in historiis versatissimum. Is cum bello a Gustavo Adolpho in Germania gesto continuo interfuisset (κκ) *de Bello Suecico* commentarios perelegantes Latine conscripsit, & paulo post cædem optimi Regis, quam & ipse attigit, Leodii 1633 in 4. vulgavit typis nitidissimis, quam & ipse Francisco Card. Barberino. Recusus est postea liber sub tit. *Mars Sveco-Germanicus*, Col. 1641. 12. Idem auctor eodem ferme ornatu, sed Romæ, 1641. in 4. vulgavit *de Dominio Genuensis Reipublicæ in mari Ligustico* librum eruditissimum & multa styli venustate conscriptum, quem ipsi Duci, Gubernatoribus & Procuratoribus Reipubl. dicavit. Horum librorum duos facit auctores Cl. Struvius (λλ) Joannem alterum, alterum Petrum, eosque in Indice distinguit, dumquæ Johanni tribuit *de Bello Suecico Commentarios*, librum levem vocat, a qua sententia, pace illius, discedendum nobis putamus, qui hos ipsos Commentarios non sine jucunditate perlegimus. Eundem Burgum præter citatos libros, *de Dignitate Genuensis Reipublicæ* disceptationem, & nonnulla contra Th. Grasvinkelium vulgasse, testatur Raphael Soprani. (μμ)

XXV.
BUSSY.

Prodeat ROGERIUS RABUTINIUS, Comes de BUSSY. Is ut rei militaris fuit peritissimus, ita a tractandis literis & scriptis consignandis haut omnino fuit alienus. Argumento huic rei esse potest, quod non a juventute solummodo actiones suas literis mandare consueverit, sed postmodum quoque cum ob librum sub tit. *Histoire amourense des Gaules* in carcerem detrusus esset, ibidem suam,

aliorum-
(θθ) *Conf. Suid. in νεστ* (υ) Libr. XI fam Epist. XV; *conf. Epist. XXIV & XXV.* (κκ) *Soprani Scritt. della Ligur. p. 238.* (λλ) *Bibl. Histor. Sel. cap. 17. §. 10.* (μμ) l. c. p. 239.

aliorumque, qui easdem in aulis fortunæ tempestates experti fuerant, calamitatem sub Tit. *l' Usage des Adversitez* descripsit. Quin cum in eodem loco otium nactus esset, res a se bello gestas pariter mira styli elegantia, quam diuturniori usu sibi acquisiverat, & haut contemnendo iudicio memoriæ prodidit. (vv) Quantum vero ad Historiam Ludovici XIV quæ sub ejus nomine Gallice prodiit, eam vix ipsum Rabutinium autorem agnoscere tum stylus tum res ipsa nobis persuadet. Interim eundem moderni Regis historiam minatum antea fuisse constat.

JOANNES AUGUSTINUS CACCIA, nobili in Italia stirpe, quam inde a Casuis gente Romana deducunt, procreatus, Philosophiæ primum operam diligenter dedit; at cum assidue fere Carolus VIII turbaret Italiam, ipse quoque sub Antonio Leva arma tulit, & per gradus summos honores consecutus est. Demum vero a militia ad quietem se recepit, & inter *Affidatos* Ticinenses *Diversi* nomen professus, eam Academiam vernacula Poesi multum exornavit, quippe variorum Carminum volumina duo, & jam senio gravis totidem piorum Carminum volumina in vulgus edidit. (ξξ)

Et quis C. JULIUM CÆSAREM ex hoc albo exterminatum vellet? Hujus certe imperatoria virtus tot itineribus, tot præliis (oo) comprobata, tot denique victoriis illustrata est, ut omnium fere gentium literis atque linguis adhuc celebretur. Et quis præstantissimos ejus, quos in ipsis castris scripsit, tam domestica, quam studio optimarum artium acquisita elegantia ornatisimos Commentarios (ππ) ignorat? Certe non pauci belli duces eorum lectione mire profecerunt, imo & Henricus IV ipse librum in Gallicum idioma transferendum suscepit, & modernus Rex Ludovicus XIV primum librum Commentariorum, ut nuper docuit DN. Præses, (εε) a se versum edidit Par. 1661 fol. ferturque ipse Solimannus II eos in Turcicam linguam translatos assidue manibus tenuisse. (σσ)

C 3

U 2

- (vv) *Conf. Diss. DN. Præsidis citatam p. 37, 38 & Morer. Diction. l. 1.*
 (ξξ) *Luca Ragion. cit. p. 107.* (oo) *Cæsarem signis collatis quinquagies dimicasse Plin. VII. 25 testatur.* (ππ) *Conf. de iis Fabric. Bibl. Latin. Libr. I c. 10 p. 157 seq.* (εε) *In Præf. Diss. de Comm. Hist.*
 (σσ) *Act. Er. 1706 p. 208.*

XXII.
CACCIA,XXIII.
CÆSAR.

Ut alia ejus scripta maximam partem deperdita, quorum Catalogum suppeditat Cl. Fabricius, (TT) taceamus. Hinc cum egregie adeo bonas literas easque reconditas militari disciplinæ adjungere didicerit Jul. Cæsar, tot ac tam honorifica a viris laudatissimis nactus est e-logia, ut in cumulandis iis decertare quasi inter se invicem videantur. Quæ tamen singula hic adscribere non vacat. Duo, quæ ad rem facere visa sunt, loco erunt omnium. Quintilianus: (vv) *Tanta in eo, [Jul. Cæs.] inquit, vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat.* Et ex modernis scriptoribus Gabriel Naudæus (ΦΦ) ita Cæsarem nostrum laudat: *Nec remissior fuit hac in re Julii Cæsaris diligentia, qui adhuc puer a predonibus captus in medio mari carmina pangebatur, & etate demum provectior gloriæ sibi duxit evocare ex ultimis terrarum finibus Chaldaeos, ad cognoscendum Solis motum: disputare cum Ægyptio sacerdote, de incrementis Nili, & eadem manu, qua res magnas gerebat, Commentarios rerum suarum ita diligenter conscribere, ut nihil a quoquam tam putetur accurate perscriptum, quod non illorum purissimæ elegantia superetur, nec ulla unquam negotiorum mole præpeditus fuit, quo minus — media inter prælia semper*

Stellarum, cœlisque plagis, superisque vacaret.

Ut eam ob causam haut dubie in heroicis Gabrielis Simeonis symbolis depingatur, globo mundi insidens, tenensque sinistra librum, dextra vero gladium, cum lemmate in medio EX UTROQUE CÆSAR. Hæc ille, quæ licet prolixiora sint, tamen cum memoratu haut indigna complectantur, nequaquam omittenda judicavi. Plura de ipso præter jam citatum Fabricium, Vossius, (XX) Hanckius, (ΨΨ) Reinhardus (ωω) aliique liberali manu congesserunt.

Dignus & est, quem memoremus, vetustissimus Scriptorum
 XXIV.
 CAFFARUS, Ligurum, qui hodie extant, CAFFARUS, Genuensis, cujus prænomen ignoratur. Is cum bello Hierosolymitano, ductu Guilielmi Embriaci copia-

(TT) l. c. p. 171. sq. (vv) Libr. X. Or. Inst. c. 1. (ΦΦ) De Stud. Mil. c. II p. 465. (XX) Libr. I de Hist. Lat. c. 13. (ΨΨ) de Ret. Rom. Scriptor. P. I c. 4. (ωω) in Theatr. Prud. Eleg. libr. I c. IX p. 57; conf. & imprimis Pope Blount Cens. Aut. p. 46 sq. & Magir. Epon. Crit. l. I.

plarum Genuensium supremi ducis, miles gregarius interesset anno 1100, res ab eo anno & in bello sacro & alibi a Genuensibus ad annum 1163 gestas [quo anno octuagenario maior decessit] Latino sed parum comoto idiomate consignavit, quem additis unius anni rebus Caffarus di Cashifellone, & deinde ulterius viginti auctores continuarunt. (a) Fallitur vero Ant. Possevinus, ubi Caffarum res ab A. 1488 ad 1514 descripsisse tradit. (b)

Nec e recentioris ævi Theologis FRID. ULR. CALIXTUS hic plane prætereundus. Erat SS Theolog. Doct. & Helmstadiensium, dum viveret, Professor Primarius, Duci Brunsvico-Guelfferbyitano a Consiliis Consistorialibus, & Abbas Regio-Luttenensis, qui anno 1701 d. 13 Jan. ætat. 79 ex hac vita in beatiorem alteram transiit. Hic cum in illustri Philyrea nostra A. 1642 studiis operam navaret, in calamitosa fatis tempora illa incidit, quibus Suecorum Dux Dorstensonius Leopoldum Wilhelmum supremum belli duces Cæareum prope Lipsiam fudit, & hoc ipsum bonæ mentis emporium obsesum cepit, Qua in obsidione noster vel neglecto etiam vitæ discrimine, ex turri arcis Plisfiacæ Suecos ignitis petiit globulis, atque ita decertavit una cum aliis pro sede Musarum nobilissima, ut quasi præludium illud dixeris earum, quibus postea occupatus fuit in campo Theologico, contentionum & controversiarum. (c)

CAPRARAM belli duces fatis celebrem anno 1701 mortuum scriptos reliquisse Commentarios, eosdemque inter alia cimelia asservare Virum Excell. Henr. ab Huysen, in citato DN. Præsidis schediasmate d. memoratum est.

GEORGIUS CAREW, Anglus, cum studiis primum in Academia Oxoniensi operam dedisset, belli cupiditate ductus in Hiberniam se contulit, Comitæ Desmondii motibus civilibus agitatum, ubi militiæ tirocinia posuit. Hinc imperante Elisabetha maximi momenti expeditionibus adhibitus, ac postea a Rege Jacobo I Baronis & a Carolo I Comitæ de Totnes titulo decoratus est. (e)

Inter

- (a) Vid. omnino Soprani Scritt. della Liguria. 65. sq. (b) Bibl. Sel. f. l. (c) Conf. de vita ejus Monathliche Ausz. 1701 m. Jan. p. 79. sq. & Histor. Remarqv. 1701 p. 77. sq. (d) p. 53. conf. ej. Dn. Præsid. Leben Leopoldi p. 410 sq. (e) Ant. Wood Athen. Oxon. T. I. p. 451. & ej. Hist. Oxon. T. II p. 63.

XXV.
CALIXTUS,

XXVI.
CAPRA-
RAM,

XXVII.
CAREW,

Inter hæc cum summis muneribus præficeretur, non dubitavit anno 1589 Oxonii Magistri Philosophiæ honores capessere, quin & res suo tempore in Hibernia gestas accurate descripsit, ut universam Hiberniæ Historiam scripturis olim inserviret. Post ejus mortem Th. Stafford, nothus ejus, MSptum nactus vulgavit sub tit. *Pacata Hibernia, or, the History of the late Wars in Ireland*, Lond. 1633, fol. Reliquit & varia monumenta ad Hiberniæ historiam spectantia, quæ in Bibliotheca Bodlejana hodiè asservantur. (f) Obiit 27 Mart. 1629.

XXVIII.
CAROLUS
MAGNUS,

Prodeat nunc CAROLUS MAGNUS, cui scripta nonnulla tribui passim constat. (g) In his præcipuum est, quod ad Hadrianum Pontificem misisse fertur, a Jo. Tilio demum sub nomine *Eli. Phili.* publici primum juris factum 1549 in 12. hoc titulo: *Opus inlustrissimi & excellentissimi seu spectabilis viri Caroli M. nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italianamque, sive horum finitimas provincias Domino opitulante regentis, contra a Synodum Græciæ, quæ pro adorandis imaginibus stolidè sive arroganter gesta est.* Hæc editio fere isto tempore in Gallia vulgata est, quo grave inter Julium III, Pontificem, & Henricum II, Gall. Regem, bellum exarserat, sollicitèque a Pontificiis suppressa hodiè raro occurrit. Unde iterum librum prelo subjecit Melch. Goldastus Fr. 1608, 8. Sunt autem, qui librum illum pro supposititio venditant. Quorum in numero sunt præter Raynaudum, (h) & Possevinum (i) Surius, Bellarminus, Baronius, Placcio (k) citati, & imprimis Carolus le Coite, (l) tum Cardinalis Perronius (m) aliique partium studio maximam partem abrepti, qui omnes supposititium hunc Caroli M. factum esse contendunt. In contrariam sententiam discedunt Nat. Alexander, (n) Surmondus (c) & Matthæus Fl. Illyricus (p) aliique. Boxhornius (q) appellat opus illud *Capitula*.

(f) *Id.* l. c. p. 452. (g) *Enumerat illa Gesner p. 114, James. in Biblioth. Bodlejan. p. 110 & imprimis Placcius de Scriptor. Picu Ion. p. 162. sq. ed. nov. (h) De bon. & mal. libris p. 162. (i) Appar. T. I præf. & p. 298. (k) l. c. p. 162. (l) Annal. Eccles. T. VI ad a. 794 n. 22 (m) *In Perron p. 59. (n) In Select. Hist. Eccl. ad Sec. VII Diff. 6 §. 6. (o) In Annot. ad T. II Concil. Gen. (p) De VI Conc. Cartag. in Præf. (q) In Hist. Univ. p. 430 ed. Lips.**

ulare, quod diversum alii (r) a libris hisce contra Iconolatriam faciunt. Esto autem, quod dictorum librorum Carolus M. auctor non fit, quod tamen aliquo modo nobis persuadere posset singularis ejus, quam auctores laudant, eruditio, & literarum elegantiorum cultus & reparatio; tamen alia etiam composuit scripta, quæ ipsum ex hoc campo exulare minime patiuntur. Sigebertus enim in Chronico (f) auctor est, quod *non solum patria lingua, sed etiam peregrinis linguis eruditus barbara & antiquissima Carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebantur, scripserit & memoria mandaverit.* Natus est A. DCCXLVI & quidem, ut ex veterrimo sec. IX Calendario Laureshamensi notum facit doctissimus Joh. Mabillonius, (t) 4. Non. April. mortuus anno DCCC. XIV.

XXIX. Carolum M. excipiat CAROLUS V. Imper. qui ut inter fortissimos belli duces jure optimo referendus est, ita inter scriptores quoque locum obtinet. Ut enim nihil dicamus de *Regulis* quibus filium Philippum II instructum voluit, anno 1547 compositis, (u) quas Leti (x) & Teisserius (y) publici juris fecerunt, celebrantur vulgo *Commentarii*, quos de rebus a se gestis Gallice eum consignasse ferunt, (z) at eos lucem nondum aspexisse proclive est. Et si enim & Adrianus Pars quendam ejus librum lingua Belgica Gand. 1599 fol. prodiisse testetur, (aa) & Antonius Teisserius discrete scribat, (bb) Caroli V de propria vita libellum Hanovix 1602 prodiisse, adhuc tamen eum in MSptis latere nonnullis de causis existimaverim. Præterea non tantum *epistolas* ejus plures & *edicta*, verum & *legem Carolinam*, Gandavensibus datam, & ejusdem Cæsaris *Constitutionem politiæ & Reip. Imperialis*, quæ interprete Justino Gobbero

D
Francof.

XXIX.
CAROLUS
V.

(r) v. Placc. c. lp. 163 conf. *Jd.* p. 249 (f) Ad annum 794. (t) De Re Diplom. c. IX. (u) *An. Hist. du Duc d'Albe* P. I. p. 245. x) *Inferuat Historie Caroli V Ital. T. III* p. 479 (y) *Seorsim edidit sub. t. Instructions de Charles V a Philippe II Berol. 1699, 12.* (z) *Testantur du Verdier Bibl.* p. 550, *Ghilini Te. d' Huom, Lett. P. II* p. 51. *Braxtome Mem. des Cap. etr. T. I* p. 42. *Anton. Bibl. Hisp. Nov. T. II* p. 319. *Conf. DN. Presf. Diff. de Nævis Pol. Caroli V* p. 4. (aa) *Indic. Batav. p. 428.* (bb) *Catal. Auctor. & Bibl. T. II* p. 36.

Francof. 1563; f. prodierit, Ant. Sanderus memorat. (cc) Eundem & *librum precum* composuisse ac propria manu descripsisse, testis est Antonius Varillastus. (dd) Deceffit a. 1558.

XXX.
CAROLUS
IX.

Inter milites forte locum etiam inveniet CAROLUS IX, Galliae Rex, cujus regnum militia domestica clarissimum fuit, quique exercitia, quibus bellis praeluditur, venationes imprimis, amavit maxime. (ee) Unde, cum praeterea literis esset probe eruditus, elegantissimum librum sub Tit. *La Chasse Royale* composuit, Villaregio, Secretario, in calamum dictatum, (ff) & Paris. 1625. 8. quanquam imperfecte editum, quo omnium, qui ante illum de Re Venatoria scripserunt, conatus longe superavit. (gg) Praeterea fuit Princeps eloquentissimus, quemadmodum ex Oratione ejus coram nobilitate Galliae recitata patet, quae prostat Par. 1563, (hh) & Poetas sui temporis Ronfardum, Baif, Doratum & Jaminum coluit, nec raris ipse versiculos fecit, quorum plures Ronfardi Poematibus insertos videas. (ii) Diem obiit A. 1574.

XXXI.
CAROLUS
I.

XXXI. Ex Angliae Regibus haut immerito huc referendus CAROLUS I, quem non semel praeliis interfuisse constat. Is et si raptissime & scriberet & loqueretur, nihil tamen vel dixit, vel scripsit, quod non esset perfectissimum, & fuit praeterea justus scriptorum aliorum censor, cujus rei exemplum non unum affert ejus familiaris Philippus Warvvik. (kk) Aliqua ejus opera sub tit. *Bibliotheca Regia Petrus Heylyn* edere cepit Lond. 1649 8. (ll) at multo auctiora *Caroli I Opera*, Anglico tamen idiomate, prodire Lond. 1662 in f. In his praecipuum *Εικὼν Ἐστυλίου*, seu *Imago Caroli I Regis* multis eruditorum litibus causam praebuit, quos inter plures, speciatim Hollingsworthius, scriptum Regi vindicarunt, alii, ut Ant. Walker (mm) & Io. Toland (nn) pleraque eo in libro Jo. Gaudeno, Exoniensi, & reliqua D. Duppæ, Salisburienfi, Episcopis deberi, prolixè tuentur. Warvvickius tamen

Le.

(cc) De Gandav, Erud. p. 26. [dd] Hist. de Franc. IT. III p. 349. [ee] Verdier Bibl. p. 146. [ff] Teste Matthæo apud Colom. Bibl. Ch. p. 28 [gg] V. Amioti, Belleforesti, Brantomii, Sammarthani, Naudæi judicia apud Colom. l. c. p. 26. sq. [hh] Verdier l. c. p. 350 [ii] Id. p. 146. [kk] Memoirs of K. Charles I p. 70 [ll] Wood Ath. Oxon. T. II p. 187. [mm] v. Act. Er. Suppl. T. II p. 171. [nn] In Vit. Milton. v. Act. Er. 1700 p. 376.

Leveti & Herberti testimoniis probat, MSptum hujus libri Regem sapius manibus tenuisse, & quæ sunt alia, quibus genuinum esse defendit. (oo) Cæsus est A. 1649.

Jungamus reliquis CAROLUM IX, Sveciæ Regem. Ille enim præterquam quod Marti se addixerit, & ipse interfuerit prælio prope Kirchhelman A. 1605 commisso, Musis quoque & consignandis scriptis non omne studium detrahit. Testis hujus rei potest esse Chronicon, quod ipsum a primordio Regum Sveciæ usque ad sua tempora aggressum fuisse Wittenius (pp) memorat, eoque se non parum in Historia Svecica adjutum fuisse Loccenius fatetur. Quin eundem res a se ipso gestas carminibus vernaculis scriptas reliquisse præter citatum Wittenium Morhoffius (qq) auctor est. Et plura ejusd. Regis scripta recenset Schefferus (rr) Obiit anno 1611.

Jam de RENATO CARTESIO dicamus. Is licet juvenis plurima industriæ & ingenii specimina edidisset, expensa omnium pene scientiarum imperfectione renuntiare studiis constituerat, & complures annos miles gratuitus nunc Batavorum, nunc Bavarorum, nunc Hungarorum nunc Gallorum castra secutus est. At in otiiis hibernis occasionem nactus Philosophiam præstantissimo, quod a natura acceperat, ingenio rimari penitius, & mysteria naturæ cum legibus Matheseos comparare, cœpit magis paulatim amare hæc studia, Martique valedicens in villula prope Egmondum in Hollandia solitariam vitam egit, & longa diligentique meditatione bonis literis profuit. Quantam sibi inde eruditione & publicis scriptis comparaverit famam atque existimationem, ita ut viris etiam imo scæminis Principibus maximis & potentissimis in delitiis fuerit, commemorare hic supervacaneum duco. Mortalitem explevit Philosophus Holmiæ A. C. 1650 ipsis Kal. Febr. annos natus 53 cum 10 mensibus & 11 diebus. ss)

XXXII.
CAROLUS
IX.

XXXIII.
CARTESIUS.

D 2

De

(oo) L. c. p. 68. seq. (pp) In Diar. Biogr. anno 1611 (qq) De Ling. & Poet. Germ. c. IIX p. 409. (rr) In Suec. Litter. p. 53; conf. Mollerii Hypomn. p. 376. (ss) Conf. Vitam Cartesii, quam Gallice descripsit Adrianus Bailletus, Paris 1691, & in compendio ibid. 1692 & 1694 4. vol. in 12. sub nomine Mr de la Neuville latens. Conf.)

Act. Er. 1691 p. 281, & 1692 p. 130.

XXXIV.
CASTEL-
NAU.

De MICHAELE DE CASTELNAU, qui & munia bellica strenue obiit, & Commentarios Gallicos stylo historici proprio, hoc est, luculento & succincto, iudicio præclaro & optima fide composuit, confer, si placet, schediasma DN. Præsidis nominatum. (tt)

XXXV.
C A T O.

An MARCUS PORTIUS CATO, Romanorum, ut Appiano (uu) audit, Demosthenes, huc iure referendus sit, Cicero, non minor Criticus quam Orator, iudicabit. Verba ejus ita sonant: (xx) *Nemo apud populum fortior, nemo melior Senator: idem facile optimus Imperator. Denique nihil in hac civitate sciri discere potuit, quod ille non cum investigarit & scierit, tum etiam conscripserit.* Cui ad stipulatur Plinius: (yy) *Tres summas in homine res præstitisse Cato existimatus est; Optimus Orator, Optimus Imperator, Optimus Senator.* Nec elegans Livii (zz) testimonium legere pigebit: *In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnans. Idem posteaquam ad magnos honores pervenit, summus Imperator. Idem in pace, si jus consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum, cujus lingua vivo eo vigerit, monumentum eloquentie nullum extet: vivit imo, vigetque eloquentia ejus sacra a scriptis omnis generis.* Hactenus ille. Sex autem potissimum vicibus Cato in campum egressus est, & quantum animo, quantum sapientissimis consiliis, quantum virtute denique valeret & fortitudine, luculenter declaravit. Prima enim adolescentulus stipendia meruit adversus Hannibalem prope Capuam: deinde ad Tarentum militavit: tribunus militum in Sicilia fuit: interfuit prælio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal frater Hannibalis: consul rebellantem Hispaniam citeriorem pacavit, armisque ad obsequium revocavit, & denique legatus Consularis pugnavit apud Thermopylas, ut passim ex rerum Romanarum scriptoribus discimus. (a) Cum itaque exinde pateat, quot & quantas bellicas sustinuerit expeditiones, quis dubitaret, ipsum diuturniori usu confirmatum singularem rei militaris peritiam habuisse, adeoque cum a iis esset & ingenio & doctrina ornatus, optime omnium *Commentarios de Re Militari* scribere potuisse.

(tt) p. 14. (uu) In Iber. p. 465. (xx) Libr. III de Orat. p. 277.
(yy) VII 27. H N. (zz) Libr. XXXIX c. 40. (a) Confer. Hancke de Rer. Rom. Script. P I c. II p. 23. sq.

isse. Dolendum modo, quod isti jam invidia vetustatis sepulti sint. Quemadmodum & alios ejus ingenii foetus, plurimas nempe *Orationes*, *Originum seu Historiarum libros VII*, quorum sola supersunt fragmenta, corrupta sæpe & interpolata, (præsertim quæ Joh. Annius Vi-terbiensis collegit) inter deperditos hodie numeramus. Unicum, quod superstes mansit, satis elegans de *Re Rustica* Opus est. Plura de scriptis ejus commemorarem, nisi otium mihi fecisset laudatus sæpe Fabricius in Bibliotheca Latina. (β) Vita decessit Cato A. U. C. 604, Mundi 3801, ante C. N. 147, ætat. 85.

Sistit hinc sese CENSORINUS, qui uno pede claudicans ob vulnus in bello Persico Valeriani temporibus acceptum, factus Imperator jam senex, scurrarum joco Claudius est appellatus. (γ) Grammaticus autem fuit doctissimus, ut scriptis quondam luculenter testatus est, quæ tamen nunc perierunt. Præter Grammatici vero argumenti Commentarios, scripsit etiam de *Die Natali* sive *Origine humana* librum, de cujus editionibus pariter Cl. Fabricius (δ) est consulendus.

Comitem DE CHAVAGNAC huc quoque pertinere, vel ex titulo Commentariorum ejus in Gallia primum editorum, & deinde a mendis innumeris repurgatorum, ac tertium Amstelodami 1701 in 12. recursorum satis liquet, qui hic est: *Memoires de Gaspard, Comte de Chavagnac, Marechal de Camp dans les Armées du Roy, General de l' Artillerie, Sergent de Bataille de celles de sa Majesté Catholique, & Lieutenant General des troupes de l'Empereur, & son Ambassadeur en Pologne.*

Militis cujusdam Andegavensis, & postea Legati Fulconis Comitis ad Ludovicum VI Gallix Regem, HUGONIS scilicet de CLERIIS mentionem facit Hallervordius in Specilegio de Historicis Latinis, (ε) eique Commentarium tribuit de *Majoratu & Seneschalcia Francie*, quæm Cl. Sirmondus ad calcem Epistolarum *Godefridi Vindocinensis* vulgavit Paris. 1610.

CAROLUS COLOMA, Hispanus, Philippi II Hispaniarum Regis copias tam in Flandria, quam Ducatu Mediolanensi, suprema cum potestate duxit, & bella in Belgio ab anno 1588

D 3

usque

(ε) Libr. Ic. 2. p. 18. sq. (γ) *Pollio in XXX Tyrann.* c. ult. (δ) *Bibl. Lat. Libr. III c. 4. p. 537. sq. (ε) p. 96.*

XXXVI.
CENSORI-
NUS.XXXVII.
CHAVAG-
NAC.XXXVIII.
DE CLERI-
IS.XXXIX.
COLOMA.

usque ad annum 1599 gesta lingua vernaculâ descripsit, hoc quidem titulo: *Las Guerras de los Estados Baxos desde el an. de MDLXXXIX hasta el de MDXCIX recopiladas por D. Carlos Coloma, Cavallero del Abito de St. Jago, Commendador de Montiel y la Ossa, de los Consejos de Estado, y guerra, y Maestro de Campo General por sa Magestad en estos Estados de Flandres, y al presente Maestro de Campo General en los Estados de Milan, y Castellano del Castillo de la dicha villa. En Amberes 1635, in 4.*

XL.
COLUMNNA.

De POMPEJO COLUMNA haut ingratum forte erit audire Paulum Jovium: (?) *Ambiguam equidem famosi non inis sui laudem reliquisse videri potest hic ipse Pompejus Cardinalis, cum miro ingenio diversissimi muneris partes aptissime impleret, & in sacra purpura miratus, & militari insago galeatus non periti modo sed affectati etiam sacerdotis ante aras, & in castris providentissimi & strenui ducis officia exqueretur.* Hæc ille. Caterum quibus de causis ab amicitia Clementis VII Pontificis Romani discesserit, ruituræ que patriæ a ma intulerit, diffuse perscriptum est ab eodem Jovio eo in libro, quo ipsius Columnæ vitam pluribus delineavit. Obiit anno 1592, ætat. 53. *Pœmata* scripsit varia, quorum unum præcipue de *Laudibus Mulierum* in gratiam Victoriæ Columnæ Anton. Sanderus (η) nominat.

XLI.
COMINÆ-
US.

Et quis hic præterire possit PHILIPPUM COMINÆ-UM, a patria Cominio Flandriæ oppido ita cognominatum? Hic certe uti Ludovico XI, Galliæ Regi, miram in obeundis legationibus prudentiam, & singularem in rebus bellicis fortitudinem, ita in scribendis octo *Commentariorum* libris, quibus luculentam XXXIV annorum historiam, sive Ludovici XI & Caroli VIII, Galliæ Regum, itemque Philippi Boni & Caroli Audacis, Burgundiæ Belgique Principum res gestas complexus est, insolitum ingenii acumen, abditos consiliorum recessus penetrans, & saluberrima præcepta & monita subministrans, præclare omnibus comprobavit. Annos fere LXIV natus, obiit anno 1509 Argentoni, Pictonum oppido, quod uxoriæ dotis nomine possidebat. Inde Lutetiam delatus, apud Augustinianos in sacello, quod vivus extruendum curaverat, tumulo marmoreo est conditus. (9)

Alia

(?) Libr. VI Elog. Milit. (η) In Elog. Card. Erud. & A. m. illustr. p. 228. (θ) v. *Aub. Miræus* in Auctar. de Script. Eccl. p. 276.

Alia quæ liberaliori manu nuper prolata sunt in laudato Excell. Præf. Schediasmate () hic repetere superfedeo.

Ex Anglia hic producimus famosum tyrannum, OLIVERIUM CROMWELLIUM. De illo autores (x) testantur, quod non Cantabrigiæ modo adolescens, sed deinceps quoque provectiori ætate Theologiæ studio mirifice fuerit delectatus, ita ut ecclesiasticam quoque anhelaverit dignitatem. Nihilominus postea bis militatum in Galliam ivit, quanquam & ibidem adhuc studium sanctissimum ita armis adjunxit, ut *Theologus miles* Luteriæ omnium consensu sit appellatus. Quin verba etiam sapius ex suggestu ad populum habuit. Ut *Epistolas* ejus nomine scriptas, quorum aliquas Jo. Ge. Pritius, Fautor noster venerandus, Lips. 1690, 12. recusâs dedit, plenius quidem inter Opera Jo. Miltoni, quem verum auctorem habent, editas, prætermittamus, libellos quoque duos composuit, quibus res suas promoveret. Primo enim *Samaritam Anglicam* vulgavit, quo in libro nihil agit, quam ut ostendat, Carolum I Achabo Regi simillimum esse; nec latere voluit, cum jam eo res perducta esset, ut nihil Rex contra tumultuosos istos auderet. Hinc *Protheum Puritanum*, recto summo artificio nomine, emisit, in quo in Parlamentarios & Puritanos acerrime invectus est, quorum revera partibus studebat, cumque omnes librum Regis jussu vulgatum crederent, eoque dissidia auferentur, voti sui egregie campos factus est. (λ) Generalis in exercitu Anglicano constitutus bis victor exiit, ad Dambarum & Vigorniam; ut leviores velitationes omittamus. Denique malis artibus Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Protector factus, diem obiit supremum anno 1658 d. 3 Septembr.

Utrum veterem quoque Historicum CTESIAM huc referre debeat, hæreo. Eum pluribus expeditionibus interfuisse, & postremum in prælio, quod Cyrus junior cum fratre Artaxerxe commisit, captum ab Artaxerxe fuisse, plures quidem testantur. Verum non pugnandi causa castra secutus videtur, cum Medicæ arti operam potius dederit, quæ & apud Artaxerxem illi profuit. Scripsit plura, quæ ad Persarum, Assyriorum, Medorum & Indorum res spectant, Herodoto

XLIII.
CTESIAS.

(x) p. 3. seq. (x) *Raguenet & Leri in Vitis Cromvelli Gallice consignatis.*

(λ) *Leri Vie de Cromvel Libr. IV p. 253 seq.*

doto perpetuo contradicens, at ex his nihil fere ad nos pervenit, præter ea, quæ Photius servavit, & quædam Fragmenta ex Persicis & Indicis ad calcem Herodoti edit. Frf. de 1608 adjecta. Uberius de illo egere Vossius (μ) & Du Pin. (ν)

XLIV.
CUCCINUS.

De FRANCISCO CAPOTIO CUCCINO ita Wittenius in Diario: (ξ) *Franciscus Capotius Cuccinus Italus, Romanus, ex Comitibus Berardis, perpetuus militiae populi Romani prefectus. Ejus est liber, cui titulus Agrippina minor: de Mutatione Imperii a Cesare. Manuscripta quoque reliquit varia, sermone populari exarata,*

XLV.
CYRILLUS.

Neque hoc loco dissimulare possumus, quod CYRILLUS Θεολογικώτατος ille Alexandriae Episcopus, variisque scriptis, ingenium, doctrinam, eloquentiam & pietatem spirantibus, aliisque rebus pie beneque gestis præclare de orbe Christiano meritis, concitato nimium affectu eo perductus sit, ut quam armis spiritualibus tueri debebat Ecclesiam, secularibus simul defendendam sibi sumserit. Sic enim Socrates (θ) de ipso retulit, quod, cum Judæi aliquando Alexandria tumultum excitaverint, ipse armata manu ad Synagogas Judæorum recta perrexerit, aliisque Judæorum trucidatis, aliis civitate ejectis, fortunas eorum plebi diripiendas tradiderit.

XLVI.
DAVIDES.

Sed ipse Regius quoque Psaltes DAVIDES producendus. Præterquam enim quod multis belli periculis vitam ipsum ultro objecisse, ex annalibus sanctissimis abunde constat, auctorem eum præcipuum esse divini illius operis, quod Hebræis דָּוִדִּים & contracte דָּוִד , Græcis $\Psi\alpha\lambda\mu\ \theta\eta\eta\iota\omega\nu$ appellatur, nemo facile in dubium vocaverit. Licet enim nonnulli Psalmi occurrant, qui ab aliis, præter Davidem, ut Asaph, Ethan, Heman, compositi sint, maximus tamen eorum numerus Davidi nostro vindicatur. (π) Possent hic addere nonnulla de ratione Carminis in Poetico Davidis Opere adhibiti, & an certum aliquod ejus metrum extiterit. disquirere, sed cum videam, quantum hæctenus virorum eruditissimorum, qui in examinando illo fuerunt occupati, fuerit studium, & quam parum felici-

(μ) De Hist. Gr. L. I p. 65. (ν) Bibl. Univerf. des Historiens p. 200. (ξ) In Diar. Biogr. T. II 1655 2. Aug. (θ) Libr. VII Histor. Eccl. (π) Conf. Sixt. Senen. in Bibl. p. 12. sq. & post eum Leusden in Philol. Hebr. p. 67. sq. & Salom. van Till in De Dicht-Sangen Speel-Konst &c. Part. II

no hi. lundia? p. 10
1882 in 5 v. d. p. 10
Lohr de. r. p. 10
in 3 p. 10. p. 10
1882 in 5 v. d. p. 10
1882 in 5 v. d. p. 10

